

& superanda esse, ne dubita: Intuere majorum exempla, & imitare eorum ~~aregianias~~
nemo enim vir magnus unquam fuit, qui
non senserit sinistrum fatum. Commendo
tibi nobile dictum Tertulliani Jcti & Theo-
logi, quo Melanchton quoque delectatus
fuit: si apud Deum deposueris injuriam, il-
le ultor erit: si damnum, ille restitutor erit:
si dolorem, ille Medicus erit: si mortem, ille
resuscitator erit. Bene sit tibi & Ecclesiae &
Reipubl. Norib. Basileæ d. 27. Aug. 1588.
Vetus tuus amicus.

P. S. Hic studiosus ad nos redibit. Is tibi
xar' ημας bona fide recensere poterit.

EPISTOLA LV.

S Vir clarissime, non mihi opus esse duco,
• apud te, qui constantiam christianam in-
tuenda amicitia probas, repetere vetus pro-
verbium de silentio multas amicitias dissol-
vente. Nam & tu tibi similis permanes in
benevolentia & ego tui memor sum, quum
res postulat, apud Deum & homines. Et
plane persuasum habeo, tam te paratum mi-
hi meisque benefacere, quam ipse me admu-
tua officia obligatum esse profiteor. Ubi
K 2 nunc